



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ioannis De Lvgo Hispalensis, Societatis Iesv, S. R. E. Tit.
S. Balbinæ Presbyteri Cardinalis, Disputationes
Scholasticæ, Et Morales De Virtute Fidei Divinæ**

Lugo, Juan de

Lugduni, 1656

V. De pertinacia, an, & qualis in hæretico requiratur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81031)

antea non cogitauerant, vt notat Suarez d. di-
sp. 19. sect. 5. num. 2.

§. III.

De deliberatione in hæretico requisita.

153

Deliberatio etiam requiritur ex parte subie-
cti, vt aliquis sit hæreticus Ecclesiasticis
pœnis punibilis, & quidem deliberatio plena, si-
ne qua non datur culpa mortalis; & quamuis pos-
sit in hac materia contingere peccatum veniale
ex defectu plenæ deliberationis; illa tamen non
appellatur *hæresis*, nec punitur ab Ecclesia, quæ
nomen hoc applicuit ad illam solam hæresim,
quæ cum peccato mortali, & cum plena delibe-
ratione admittitur. Aduertunt autem Doctores,
frequenter contingere præsertim scrupulosis mē-
tibus, vt hi dissensus interni sine deliberatione
fiant, vel verius non fiant, sed fieri appareant ob
vehementiam imaginationis, aut tentationis à
Dæmone immixtæ, remediumque optimum esse
eas cogitationes irritare, & de iis non curare: de
quo videri possunt Gerson, & alij, quos affert
Sanchez lib. 2. in Decal. cap. 7. num. 13. & 14. Ad-
uerte item, in foro externo non præsumi defe-
ctum plenæ, & sufficientis deliberationis ad pec-
carum graue in blasphemis hæreticalibus, quæ
impetu vehementis iracundiæ proferuntur, imo
grauiter puniuntur, vt contra aliquos notat cum
aliis Diana 4. par. tract. 7. de pœnis delictorum, &c.
resoluit. 8. & tract. 8. de officio & potestate in-
quisitorum resoluit. 87. vbi etiam an de vehementi,
an solum de leui, an nullo modo abiurare cogen-
dum sit.

Ad hoc caput deliberationis requisitæ ex parte
subiecti spectat potissimum duplex questio.
Prima est de pertinaciâ requisita ad hæresim puni-
bilem. Secunda de ignorantia inuincibili, aut
etiam vincibili, an & quomodo excuset ab hæ-
resi, & eius pœnis contrahendis, de quibus suo
ordine agendum erit duabus sectionibus se-
quentibus.

SECTIO V.

De pertinaciâ, an, & qualis in hæretico
requiratur.

154

Atentur omnes, requiri pertinaciâ, vt ali-
quis hæreticus sit, & dicatur, atque adeo,
vt hæreticorum pœnas incurat Ecclesiasticas.
Quod supponitur in Conciliorum decretis dam-
nantibus eos, qui pertinaciter contradixerint;
in cap. *Dathanamus*, de summa Trinitate. Clement.
1. §. porro eodem titulo cap. vnico, eodem titu-
lo lib. 6. Clement. vnica §. vltimo de vsuris, &
aliis, quæ congerit Suarez disp. 19. sect. 3. num. 9.
vbi etiam apud Coninch. disp. 18. dub. 7. num. 76.
videri possunt loca Augustini eam pertinaciâ
exigentis, & de communi doctorum consensu
videri etiam potest vltra alios Farinacius de hæ-
resi, quest. 196. & plures etiam congerit Diana 4.
parte tract. 7. de pœnis delictorum &c. resolutione
36. Questio tota est, quanta, & qualis hæc
pertinaciâ esse debeat.

155
Pertinaciâ
etymologia.

Pertinaciâ aliqui cum Isidoro lib. 10. sub
litera P. volunt dictum esse, quasi imprudenter

tenentem, quam etymologiam approbare vide-
tur Suarez dista. sect. 3. num. 12. sed alij cum
Verone deriuant à *peruolando*. Alij fortasse me-
lius deducunt à *per*, & *teneo*, quasi pertinax, sit
nimis tenax, vt videri potest apud Calepinum in
verbo, *peruolans*, vbi etiam afferuntur loca non-
nulla, in quibus in bonam etiam partem vsurpa-
tur: frequentius tamen in malam, & in præfenti
materia significat procul dubio vitiolam & ob-
stinatam tenacitatem propriæ sententiæ contra
sensum Ecclesiæ. Quo supposito primum du-
bium esse potest, an requiratur pertinaciâ contra
Ecclesiâ, an verò sufficiat quod reiciatur fides
sufficienter propolita, licet nihil proponatur de
sensu Ecclesiæ. Diximus enim *supra* Distin. 1.
sect. 12. non repugnare quod aliquid proponatur,
vt euidenter credibile, & cum obligatione id
credendi, quamuis non proponatur auctoritas
Ecclesiæ: si quis ergo dissentiat, peccat quid-
dem contra fidem peccato infidelitatis, & perde-
ret habitum fidei infusam, verò esset hæreticus,
diximus hæc eadem disputatione sect. 1. agentes
de iis, quæ ad hæresim requiruntur ex parte ob-
iecti, ad quem locum pertinet hoc dubium. Nam
hæc circumstantia non se tenet ex parte subiecti,
sed ex parte obiecti, cui per dissensum contradi-
citur. Vnde ibi diximus casum esse metaphysi-
cum, si res ipsa sit de iis, quæ non ad reuelatio-
nem priuatam, sed communem spectant. Semper
enim obicitur auctoritas contraria Ecclesiæ. Da-
ta tamen illa hypothesi, cum non fore hæreticum
propriè loquendo, quia hoc nomen ex vlu
Ecclesiæ vsurpatur solum ad significandum eum,
qui Ecclesiæ Catholicæ sese opponit, quare conse-
quenter ille non incurretur censuras, & pœnas
hæreticorum. Semper tamen in foro externo præ-
sumetur hæreticus, quia non præsumetur perti-
naciâ contra reuelationem publicam, sine perti-
naciâ contra auctoritatem Ecclesiæ.

Secundum dubium, & magis ad rem præsen-
tem est, an hæc pertinaciâ dari possit, antequam
errans admoneatur de suo errore, & ipse moni-
tionem contemnat. Est enim aliquorum senten-
tia id exigens, atque adeo temporis durationem
non modicam, in quo incorrigibilis appareat,
& obstinatio contra monitiones, & correptiones
adhibitas. Pro qua citari solent Syluester verbo
hæresis 1. quest. 2. num. 5. & Archidiaconus apud
ipsum dicentes hæreticum esse, qui publicè, vel
latenter diu in errore persistit. Alij tamen eos
explicant, quod loquantur non de culpa ipsa, sed
de præsumptione criminis, & pertinaciâ in foro
Ecclesiastico. Eam tamen videtur docuisse Alci-
rus in l. 2. Cod. de summa Trinitate, num. 3. vbi
sic ait: *Pertinaciâ est, quæ hominem hæreticum
facit, quæ propter si quisquam in Trinitate non
rectè sentiat, nisi admonitus persistat, hæreticum
non est. Quod idem docuisse videtur Menochius
volum. 2. Concil. 149. num. 49. dicens: vt quod
dicatur hæreticus pertinax, debet consistere quod
fuit monitus, & instructus de veritate, & quod
ea instructione sprete persistat in eadem opinio-
ne. Pro quo citat Lupum, & Turcrematum,
quibus alij addunt Paladium, Rubeum in allega-
tione in materia hæres. §. 3. & fundari possunt in
verbis Pauli ad Titum 3. hæreticum hominem post
primam & secundam admonitionem denita. &
Augustini contra Manichæos relati in cap. qui
in Ecclesia, 24. q. 3. dicentis, Qui in Ecclesia Dei
morbidum aliquid prauumque sapient si correctis*

ut sanum rectumque sapiant, resistent contumaciter, suaque pestifera, & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defendere persistunt, heretici sunt. Sed reuera Alciatus, & Menochius explicati adhuc possent, sicut & alij cum enim iuritate sint, qui de foro externo solum agunt, in eo solum foro dicunt excusari posse reum, si monitus non fuit nec correctus, paratus enim erat corrigi, & errorem deponere si monitus fuisset. Ceterum in foro Dei qui corda scrutatur, si verè ille in corde paratus non erat ad errorem corrigendum, quippe sciebat iam bene eum esse contra Ecclesiam sensum, non excusabitur ab heresi labe contrahenda ob defectum monitionis externæ.

157

Communis
sententia.

Communis ergo, & verissima Theologorum sententia docet, eam monitionem, vel temporis diuturnitatem, aut moram non exigere, ut aliquis hereticus fiat, & penas hereticorum incurrat; sed sufficere, quod cum deliberatione plena errorem amplectatur, & exprimat, quem videt ab Ecclesie sensu; & definitione alienum esse. Ita Suarez dicta disp. 19. sect. 3. n. 23. Caiet. Vasquez, Valentia, & alij innumeri quos afferunt, & sequuntur Sanchez dicta cap. 7. num. 7. & Diana de resolutione 36. qui bene ex aliis à se relatis observant contra Alciatum, & alios, nec etiam in foro externo requiri semper monitionem, & correctionem præcedentem, ut aliquis tanquam hereticus, & pertinax puniatur, nec id quidem in praxi sancti officij observari. Si enim aliunde constare posset ex ipsa doctrina notoriore, & qualitate personæ, aliisque circumstantiis, non potuisset Reum ignorare oppositionem illius doctrinæ cum Ecclesia, eo ipso iudicabitur hereticus & ad hunc finem interrogatur in iudicio an sciret, quod id esset contra Ecclesie doctrinam, quod si sciret, iam censerebatur sufficienter heresim, & pertinaciam confessus.

158

Ratio autem est clara, quia monitio externa solum deservire potest, ut errans aduertat ad oppositionem sui erroris cum doctrina Ecclesie. Si ergo id totum ipse multo melius scit ex libris, & definitionibus Conciliorum, quam ex monitoris verbis scire posset, non est cur necessaria sit alia monitio, ut pertinax sit contra Ecclesiam. Neque etiam ad hoc alia temporis mora requiritur, cum brevissime possit auctoritas, & sensus Ecclesie cognosci, & deliberatè contemni, sicut in aliis peccatis contingit; & à contrario optimè arguitur ex actu fidei, quem brevissime potest homo elicere, & Ecclesie se reverenter submittere, eiusque doctrinam amplecti; contrarium autem eadem est ratio, nec plus temporis requiritur, ut ab Ecclesia pertinaciter recedas, quam ut ad eam constanter, & firmissime accedas. Nec obstant verba Pauli in contrarium adducta, in d. ut notavit Suarez, supponunt etiam ante monitionem esse iam hereticum, dum dicit hereticum post primam, & secundam monitionem denit. Monitio ergo requiritur ad iustificandam separationem, probata iam eius incorrigibilitate, ne operam perdamus cum nostro periculo, & sine spe illum lucrandi. Addere possumus illud documentum d. si Tito, qui cum esset Episcopus debebat ut pastor quærere oves errantes, ut ad Ecclesie ovile reduceret. Aliis verò privatis salubrius aliquando erit statim hereticum vitare, quem sciunt non ex ignorantia, sed malitia peccare; debent enim sibi consulere, & cavere, ne dum sanare eum volunt, periculose inficiantur.

Card. de Lugo de virtute Fidei divina.

Denique in eodem sensu Augustinus supra adductus docet constare satis de heresi illius, qui correctionem respuit, quia antea potuisset ignorantia prætextu se se aliquando subdole, aliquando veraciter excusare.

Hinc tamen dubitari solet tertio, an satis sit ad pertinaciam requisitam, si quis ab Episcopo, vel inquisitoribus monitus, & correctus, eorum iudicio non acquiescat, sed in suo errore permaneat. Prima sententia affirmat, quam tenent Cardinalis, Bartolus, Penna, Farinacius, & alij apud Suarez dicta sect. 3. num. 20. quibus adde Castrum Palao dicto tract. 4. disp. 3. puncto 2. num. 6. Secunda sententia negat id sufficere, quia Episcopus, & Inquisitores non habent infallibilem veritatem in proponendo, nec sunt regula certa ex assentientia Spiritus sancti; sed possunt decipi, & decipere in rebus fidei: quare potest aliquis paratus esse ad credendum Ecclesie, licet nolit credere Episcopo, & inquisitoribus, qui Ecclesia non sunt, ita cum Cano, Valquez, & aliis Sanchez dicto cap. 7. num. 25. Valentia, Torres, Salas, & alij apud Dianam ubi supra §. Prima opinio negat. Tertia denique sententia distinguit, & dicit, primam sententiam veram esse in foro externo, secundam verò in foro interno; ita ferè Suarez ubi supra num. 21. Lorca, & alij, quos affert, & sequitur Diana loco citato.

159

An satis sit
ad pertinaciam
requisitam
si quis ab
Episcopo, vel
Inquisitori-
bus monitus
non acquies-
cat?
Prima sen-
tentia.
Secunda sen-
tentia.

Ego tamen difficile inuenio quoad hoc differentiam inter forum internum, & externum. Quia vel propositio facta ab Episcopo, & Inquisitoribus talis est, ut reuera afferat obligationem credendi; & tunc in foro etiam interno erit pertinax, qui non credit, cum resistat fidei doctrinæ propositæ sibi sufficienter ad obligandum. Vel propositio non est talis, ut obliget in conscientia ad credendum, & tunc sicut in foro interno non erit pertinax si non credat, ita neque in externo debet talis iudicari. Forus enim externus non iudicat contra internum, nisi propter præsumptionem fundatam in aliqua circumstantia externa sufficienti ad præsumendum: si ergo propositio facta ab Episcopo, vel Inquisitoribus in illis circumstantiis non est de se sufficiens, ut obliget ad credendum, non debet etiam in foro externo iudicari pertinax, qui stante illa propositione non credit.

160

Quid sentiat
Auctor.

Notat tamen meritò Suarez ubi supra, communiter instructionem illam, & propositionem, quæ ab Episcopo & Inquisitoribus fit, sufficere esse ad obligationem credendi, & ut resistens pertinax sit, quia communiter non fit sine magno consilio, & doctrina, nec nisi de rebus iam antea definitis, & in Ecclesia communiter receptis. Ratio autem à priori est, quia sicut tenemur credere revelationem divinam, quæ nobis evidenter non constat, quando circumstantiæ, quibus nobis proponitur, sunt tales, ut reddant eam evidenter credibilem, & in quibus non possit prudenter negari, vel de ea dubitari, aut formidari; ita non est necesse quod propositio Ecclesie, per quam Deus nobis mediatè loquitur, nobis evidenter constet, si circumstantiæ, quibus hæc eadem Ecclesie doctrina nobis proponitur, sunt tales, ut reddant eam nobis evidenter credibilem, & de qua non possumus prudenter dubitare, aut formidare, quod sit doctrina Ecclesie, quæ nobis proponitur. Tales autem sunt communiter illæ circumstantiæ, nec enim communiter Pontifex

161

BB b 3 aut

161

aut Ecclesia in Concilio congregata fidelibus immediatè hæc dogmata proponit, sed mediatè per suos ministros. Cum quo tamen stat, quod aliquando proponentes, vel circumstantiæ, quibus doctrina proponitur, non sint tales, ut obligent omnes ad firmiter credendum fide diuina. In quo tamen cautè intelligendam existimo differentiam, quam inter doctos & indoctos adhibet Castro Palao *vbi supra num. 6. ex Sanchez, & aliis*, dicens hominem doctum facilius præsumi pertinacem, quàm indoctum, & rusticum, si dissentiat mysteriis propositis, quia rusticus facilius ignorare poterit regulas fidei, & obligationem credendi. Hæc tamen regula cum distinctione accipi debet: nam si agitur de iudicando reo accusato, quod propositiones aliquas protulerit, & docuerit, facilius præsumitur hominem doctum animo hæretico illas dixisse, quia præsumitur quod sciebat oppositas esse doctrinæ Ecclesiæ, & Conciliorum, quod homo rusticus poterat ignorare, ut cum Albertino, & aliis multis notat Diana *vbi supra §. Notandum est tamen*: si verò agatur de pertinacia orta ex eo, quod reus non se summittat iudicio Episcopi, & Inquisitorum proponentium ei doctrinam aliquam, ut necessariò tenendam, & profitendam, existimo tunc facilius iudicari pertinacem in ordine ad hæresim hominem rusticum, si resistat, quàm Theologum doctum. Nam, ut vidimus *supra disput. 5. sect. 2.* minora motiua credibilitatis sufficiunt homini rustico, ut obligetur ad credendum quàm homini docto, qui melius penetrat fundamenta formidandi: quare aliquando excusari non poterit à pertinacia hæresis rusticus non acquiescens iudicio Episcopi, & Inquisitorum, licet Theologus doctus excusari possit ab eo gradu pertinaciæ ad hæresim requisitæ, eo quod afferat rationem aliquam verisimilem, cur non obligetur, quam rationem rusticus afferre nescit, & nequit, ut fateatur etiam Lorca *in præfati disput. 41. num. 21.* Per hoc tamen non intendo, quod Iudices fidei, & Inquisitores non possint eo casu peruenire ad condemnandum etiam Theologum illum tantquam pertinacem; sed dico non ita breuiter, & facile id faciendum, ac fieri cum rustico, cui sufficit doctrinam Ecclesiæ proponere: Theologo autem docto, qui negat illam esse doctrinam Ecclesiæ, & assert fundamenta apparentia ad probandū ignorantiam Censorum, qui immeritò eius assertiones damnarunt, oportet rursus satisfacere, & disputare, ac explicare illi fundamenta censuræ, ut conuincatur, vel conuinci debeat sapientum iudicio, quod censura meritò prolata sit, postea verò si non acquieuerit, poterit rationabiliter declarari pertinax: nec enim in singulis casibus ad nouam Pontificis declarationem recurrendum est, ut errantes in fide corrigi & puniri possint.

163

An requiratur ad hanc pertinaciam, quod homo velit directè resistere auctoritati Ecclesiæ, an solum indirectè.

Quartò dubitatur, utrum ad hanc pertinaciam requiratur, quod homo velit directè resistere auctoritati Ecclesiæ, an verò sufficiat id velle solum indirectè. P. Suarez *dist. 3. num. 22.* dicit requiri, quod directè velit. P. Vasquez *1. tom. in 1. 2. disput. 126. cap. 3. in initio*, & P. Sanchez *dicto c. 7. num. 4.* dicunt sufficere, quod indirectè velit. Sed re ipsa utrique conueniunt, licet diuersis vocibus loquantur; volunt enim quod non requiratur, quod contradictio ipsa, & resistentia contra auctoritatem Ecclesiæ, sit finis formaliter intentus, ita ut quis neget aliquas veritates ut contradicat Ecclesiæ, quod aliqui vocant velle directè resi-

stentiam ipsam, sed sufficit scire, id esse contra sensum Ecclesiæ, & tamen id tenere, ex quo cumque sine id fiat, siue ob lucrum, siue ob honorem, siue ob alium affectum, quod vocant velle indirectè. Quod in re ipsa verissimum est; sicut in aliis etiam peccatis id sufficit ad peccandum contra obedientiam, iustitiam, religionem, & alias virtutes, licet non habeatur pro fine formaliter volitò iniustitia, inobedientia, irreligiositas, &c. sic etiam peccatur pertinaciter contra auctoritatem Ecclesiæ, negando id, quod scimus Ecclesiæ docere, licet non intendamus formaliter contradicere Ecclesiæ. Quoad modum verò loquendi placet magis, quod quoties cognoscitur oppositio cum doctrina Ecclesiæ, dicatur ipsa resistentia directè volita, licet non sit formaliter intentata. Nam qui vult aliquid necessariò connexum cum alio effectu, licet ipsum effectum non intendat, dicitur illum directè velle, quia volendo causam, vult implicite effectum in ea causa virtualiter inclusum. Sic qui dat feminæ grauidæ potionem ad abortum factus animati, dicitur homicida voluntarius, quia licet non intendat occisionem factus, sed potius vellet quod post abortum viueret, vult tamen causam necessariò connexam per se loquendo cum morte filij, atque ideo dicitur directè velle eandem mortem, nam sine voluntate directæ occisionis non contrahitur irregularitas homicidij voluntarij, ut cum omnibus Doctoribus obseruat Suarez *de censuris disp. 44. sect. 1. num. 1.* Voluntas ergo credendi id, quod scio esse contra Ecclesiæ doctrinam, qui assensus esse non potest sine resistentia contra Ecclesiæ, est verè voluntas directè resistendi Ecclesiæ. Quod adhuc dupliciter fieri potest, primò ita ut ipsa resistentia, & oppositio contra Ecclesiæ, sub conceptu proprio sit obiectum intrinsecum voluntatis hæreticæ, quia quis præuisa contradictione cum sensu Ecclesiæ, velit contradicere, & opponi Ecclesiæ, licet hanc ipsam oppositionem non intendat formaliter, & propter ipsam, sed solum materialiter, & propter aliud, nempe ut retineat suam opinionem, vel propter honorem, lucrum, &c. ita tamen ut volitò ipsa habeat ordinem intrinsecum ad resistentiam, & contradictionem illam, ut ad obiectum volitum, non formale, sed materiale. Secundo fieri potest, ut solum sit obiectum extrinsecum, quatenus præcognita contradictione, & oppositione, quam assensus ille habebit contra doctrinam Ecclesiæ, voluntas adhuc velit illum assensum, nec dicat, *volo dissentire Ecclesiæ*: sed solum dicat, *volo negare præsentiam realem Christi in Eucharistia*: quæ voluntas, posita præuisione repugnantia cum doctrina Ecclesiæ, vult oppositionem cum Ecclesiæ, & quidem directè, quia vult directè eum dissentire, qui est oppositus Ecclesiæ, atque adeo vult id, quod est formalis oppositio cum sensu Ecclesiæ, licet non terminetur intrinsecè ad illud sub hac formalitate, & propter est oppositio cum Ecclesiæ. Vterque autem modus sufficit ad pertinaciam, quæ constituit hæreticum: nam utroque modo vult voluntas dissentire, quo præuidetur intellectus dissentire doctrinæ Ecclesiæ. Sicut qui vult esum carniū in die ieiunij præuisa prohibitione Ecclesiæ, vult violare Ecclesiæ præceptum, etiam si ipsa volitò non semper feratur intrinsecè in prohibitionem, ut in obiectum formale, vel materiale, sed solum specifica

cificatiōe in obiectum, quod est prohibitum, id est, in eam carnium delectabilem, qui tamen cognoscitur, & proponitur ab intellectu prohibitus, quod sufficit, ut dicatur velle directē obiectum prohibitum, & violationem præcepti Ecclesiastici.

165 *An ad pertinaciam heretici requiratur, quod aduersarij opinionem eū doctrina Ecclesie, quia habet infallibilem auctoritatem, &c.* Quinto dubitatur, vtrum ad pertinaciam heretici requiratur, quod aduersarij opinionem eū doctrina Ecclesie, quæ habet infallibilem auctoritatem in proponendo, & quæ re ipsa proponit contrarium. Certum est in primis non requiri, quod credat contrarium esse verum, & de fide, & tamen dissentiat. Nam ut bene aduertit Sanchez *ditto cap. 7. num. 3.* id impossibile est, quod simul dissentiat obiecto, quod actu iudicat esse verum, vel quod iudicat esse de fide, quæ habet infallibilem veritatem. Vnde nec etiam requiritur, quod cognoscat, & credat contrarium proponi ab Ecclesia habente auctoritatem infallibilem in proponendo. Nam cum hoc iudicio etiam esset impossibilis dissensus, alioquin crederet esse falsum id, quod simul credit proponi ab Ecclesia non potente proponere falsum, quod esset apertè sibi contradicere, ut ex ipsis terminis constat. Ut ergo aliquis sit hereticus, & pertinaciter se opponat auctoritati Ecclesie, sufficit quod ei taliter proponatur infallibilis auctoritas Ecclesie, & eiusdem Ecclesie definitio de contrario dogmate, ut licet nolit vtramque credere, possit tamen, & videat obligationem vtramque credendi, & quod non possit prudenter negari, nec de illis dubitari, aut formidari. Nam hoc ipso si dissentiat, & neget Ecclesiam habere auctoritatem infallibilem in proponendo, vel etiam si id concedat, neget tamen contrarium dogma esse ab Ecclesia propositum; iam pertinaciter respuit Ecclesie doctrinam sibi sufficienter propositam. Nec aliter peccant de facto heretici, qui certè de facto non credunt nostram Ecclesiam habere auctoritatem infallibilem in proponendo, vel contraria dogmata esse à vera Ecclesia proposita, ut notauit Suarez *dicta sect. 3. num. 14.* Quia tamen vtrumque iis taliter proponitur, ut possint, & debeant id credere, dicuntur, & sunt heretici, & pertinaces contra Ecclesie auctoritatem & doctrinam. Sicut etiam ut aliquis peccato infidelitatis peccet grauiter contra diuinam veritatem, & auctoritatem, & pertinaciter ei resistit, non requiritur quod credat obiectum illud esse à Deo reuelatum: alioquin ferè nunquam dissentiret: sed sufficit quod taliter ei proponatur reuelatio diuina, ut possit & debeat eam firmiter acceptare, & credere. Similiter ergo, ut pertinaciter repugnet Ecclesie (quod ad hæresim requiritur) sufficit, quod infallibilis & propositio Ecclesie taliter ei proponatur, ut possit, & debeat eam credere: nam eo ipso si dissentiat pertinaciter reiecit auctoritatem, & definitionem Ecclesie sibi sufficienter propositam, cum obligatione eam acceptandi, & credendi.

166 *Inferuntur nomina.* Ex dictis autem inferuntur primò non excusari à pertinacia sufficienti, ad constituendum hereticum illum, qui paratus est corrigi, & aquiescere Ecclesie, si ab ea argumentis conuincatur, ut cum Vasquez, Lede sma, & alijs notat Sanchez *vbi supra num. 6.* addens contrarium non esse probabile. Suarez etiam *vbi supra num. 13.* & alij. Ratio autem est clara, quia ille non est paratus consentire auctoritati Ecclesie, sed rationibus, & argumentis ab ea adducendis in confirmationem

sue definitionis, quare pertinaciter resistit auctoritati Ecclesie.

Inferuntur secundo, posse etiam esse pertinacem, & hereticum, qui nihil ab Ecclesia definitum & propositum scienter negat, sed nesciens quid Ecclesia in re tali definiat, adhæret suo errori, cum affectu non deferendi illam opinionem, etiam si sciat Ecclesiam contrarium definiuisse. Ita Suarez *ditto num. 13.* & cum alijs, quos affert Sanchez *ditto cap. 7. num. 31.* Quod quidem verum est, etiam si Ecclesia de facto in puncto illo nihil definiuisset, ut cum Caietano, Nauarro, & Vasquez docet idem Sanchez *ibid. num. 29.* Idem denique est de eo, qui falsò putat aliquid esse ab Ecclesia definitum, cum reuerà non sit, & tamen ipse contrarium sentit, quem quidem grauiter peccare, sed non esse iudicandum hereticum in foro externo dixit Simancas de *Carbol. in sit. tit. 31. num. 9.* Contrarium tamen, & meritò etiam in ordine ad pœnas hereticorum, docent alij communiter, quos affert, & sequitur idem Sanchez *ibi num. 30.* Quod intelligitur si ipse vtrumque exterius manifestauit, nempe se sentire contra id, quod putabat esse ab Ecclesia definitum. Ratio autem est clara, quia in his omnibus casibus negatur aliquid, quod est verè contra fidem, & Ecclesie doctrinam, nimirum infallibilitas Ecclesie in proponendo; ergo non solum in existimatione, vel sub conditione, sed absolute, & in re ipsa pertinaciter resistit auctoritati, & doctrinæ Ecclesie in aliquo dogmate Ecclesie sufficienter proposito.

Inferuntur tertio, non sufficere ad pertinaciam dispositionem merè habitualem ad non credendum aliquid etiam si cognosceres illud ab Ecclesia definitum: ita Vasquez 1. 2. *disp. 126. m. 8.* Turrian. in *presenti disp. 55. dub. 2. §. item ex doctrina.* Coninck in *presenti disp. 18. dub. 7. num. 94.* Nominè autem dispositionis merè habitualis intelligunt, quod quis adeo sit affectus ad suum errorem, quem inuincibiliter putat esse verum, ut si ei constaret de contrario Ecclesie sensu, adhuc in sua opinione permaneret: nunquam tamen actum aliquem habuit, quo vellet vlla ratione, vel sub vlla conditione ab Ecclesie sensu discedere, sed potius actu vult Ecclesie in omnibus consentire. Quo casu ita explicato non videtur dubium, quòd homo ille nondum sit hereticus, cum dispositio illa remaneat semper in actu primo, & nunquam prodeat in vllum actum secundum contemnendi Ecclesie auctoritatem: sed ut verum fatear, casus difficilè continget, quòd actu præferat auctoritatem Ecclesie omnibus alijs argumentis, & tamen ita tenaciter adhæreat suo errori, ut si sciret esse contra sensum Ecclesie: adhuc ab ea opinione non discederet, quin assensu ipso erroris implicite præferat sua argumenta auctoritati Ecclesie, saltem sub conditione. Non tamen nego, posse id aliquando euenire: nam voluntas sæpe ita afficitur ad aliquod obiectum sensibile, ut si in notitiam veniret esse prohibitum, adhuc non desisteret: dum autem prohibitio ignoratur, non peccat, & potest cum illo affectu stare actus attritionis vel contritionis de peccatis, & dilectio Dei appetitiuè super omnia & ideo occultamus penitentibus debilibus aliquas prohibitiones, ne rei difficultate deterri, cadant ab actu penitentiae vel à proposito necessario implendi omnia præcepta. Hoc itaque, quod in voluntate frequentius inuenitur, posset aliquando

BBb 4 quando

